


F.



1841.

LXIV.

DE CAS
QVÆSTIONUM PHILOSO-
PHICARUM
ILLUSTRUM,

Exercitii gratiâ Eruditorum censuræ exposita
In Celeberrimo CIBINIENSIO Gymnasio

A U S P I C E

Christo Jesu Salvatore nostro Unico

&

P R A E S I D E

M. JACOBO SCHNITZLERO

Facultatis Philosophicæ hactenus in Acad. Wit-
teberg. Assessore, nunc Gymnasii
Cibiniensis Rectore

R E S P O N D E N T E

VALENTINO FRANCK
CIBINIENSIS

Ad diem 7 Decembr. Horis matut. In Andist. Majorib.

M. ACADEMIA'
KÖNYVTÁRA



C I B I N I I,

Apud ABRAHAMUM KERTESZ SZENCIENSIS.
M. DC. LXIII.

PATRIÆ PATRIBUS
Generofissimis, Amplifissimis, Nobilifissimis atq; Consul-
tissimis DOMINIS,



Dn. JOHANNI SIMONIO,

Consuli Urbis Metropolitanæ Cibiniensis longè gravifimo, Dn.
Affini jure naturæ, educatione verò Dn. Parenti & Patrono meo
optimo, maximo, incomparabili.

Dn. ANDREÆ FLEISCHERO,

Regio Judici Cibiniensium Strenuissimo, Universitatis Saxonice
Comiti confirmato, & p. n. Serenissimi Transylvaniæ Principis,
Sede vacante propter Celsitudinis fuæ absentiam Vicario, Locum-
tenenti Consiliarióque eminentissimo, Domino & Patrono meo
gratiosissimo.

Dn. JACOBO KAPPIO,

Inclytæ Sedis Cibiniensis Judici ac Moderatori Amplifissimo, gra-
vissimo.

Omnibus & singulis Ecclesiæ Jesu Christi Nutritiis, &
Gymnasii Cibiniensis in hac almâ Urbe celeber-
rimi Restauratoribus atq; Patronis
exoptatissimis.

exercitium hoc Philosophicum fiduciâ singulari
offert

VALENTINUS FRANCK

RESPONDENS.

Lectori benevolo Salutem!

Depromimus hic aliquot quæstiones Philosophicas Tibi, Candide Lector, qvod dum facimus, memineris quam pulchram harmoniam sibi correspondeat Liber Scriptura & Liber Naturæ. Quotiescumq; enim Naturam scrutamur, toties etiam summam Authoris Naturæ potentiam prudentiamq; admiramur vel saltem admirari debemus. Idem nobis inculcat Scriptura, quæ admirabilem, potentem & supra captum nostrum virtute pollentem Deum asseverat. Nolumus adducere testimonia & argumenta in re manifestâ. Nobis incumbit ratione officii à Deo nobis concretiti utrumq; Librum & Scripturæ & Naturæ explicare, quo priori supposito & tanti per se posito spatiabimur in hortu Naturæ amoenissimum, quodam tantum fructus ab unâ atq; alterâ arbore decerpturi. Neque enim omnis fert omnia tellus, & qvod hic verum est alibi verum esse nequit, hinc tot sunt sectæ Philosophorum non tantum antiquorum verum etiam recentiorum. Quam multis modis verò præstaret Philosophis Philosophos esse quam Sectarios. Nobis amicus esto Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas! Quam ut obtineamus ad sis ô Christe Jesu!

Q V Æ S T I O I.

An Philosophia sit inventum humanum?

Multos antiquitas celebravit & posteritas tandem obser-
vavit tanquam Philosophiæ inventores, inter quos ut

alios silentio prætereamus, Aristoteles certè norma qvæsi & regula apud plerosque aestimatus fuit & adhuc aestimatur, qvamvis Ethnicus extra Ecclesiam Dei constitutus fuerit, qvin imò vix Salomon Rex tantis elogiis afficitur, et si extra controversiam omnem Dei ipsius judicio sapientissimus mortalium reputatus sit. Solus Aristoteles erat

*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Perstrinxit stellas, exortus uti aethereus Sol.*

Qyod Pererius (Christianus) Philosophus Peripateticus censet, addens insuper, cap. I. L. 5. Cujus (Aristotelis) viri præstantiam virtute sibi laudando conseqvi velle simile est, ut si quis vellet Oceanum exhaustire, aut stellas cœli dinumerare, & mundi totius magnitudinem manibus suis metiri. Hui bone vir! Quidcunque homo est, humani nihil alienum à se esse novit. Aristoteles si homo fuit potuit errare, si non potuit errare, non fuit homo, multò minus Philosophus. Siquid dubio si ipsemet Aristoteles hæc legeret, non contradiceret, utpote qvæ vera qvæ certa sunt.

Anteqvam autem ad qvæstionem respondeatur (1) Distinguendum est inter Philosophiam consideratam in abstrato & in concreto. Non de hoc, sed illo qværimus. Distinguendum est (2) inter Philosophiam consideratam quoad essentialia & accidentalia. Qværitur de priori, non posteriori. (3) Quoad præstantiam Philosophiae distinguimus inter perfectionem partium & perfectionem graduum. Qværitur de illâ, non hâc. (4) Qværitur de principio primario, non secundario. Illud est solus Deus, hoc creaturæ esse possunt. (5) Aliud est donum & bonum naturale, aliud spirituale. Illud Philosophiam esse dicimus & affirmamus. Negamus hoc. Qvibus præmissis negamus qvæstionem; *Philosophia non est inventum humanum.* Qvia (1) Philosophia sana, in abstrato con-

& o considerata, adhuc aliquomodo vestigium est imaginis
divinæ. Qvia (2) series historica hoc manifestè testatur.
Abrahamus enim (qui sine dubio ut alii Patriarchæ à Deo
edictus fuit) Ægyptios in Philosophia informavit, Ægyptii
Græcos, Græci Latinos, à quibus ad nos translata est Philo-
sophia. Qvia (3) Philosophia est donum Dei. Qvia (4)
tantæ sunt difficultates in disciplinis Philosophicis, ut infini-
to labore vix acquiri possint atq; intelligi queant, nendum ut
cædem ab homine excogitari aut inveniri debeat.

Q V A E S T I O II.

An Philosophia contrarietur Theologie?

Reptenda hic est distinctio (1) Philosophiæ in abstracto
& in concreto consideratæ. De illa non hanc quæritur.

(2) Distingvimus inter Philosophiā quoad essentiam &
quoad existentiam. Quæstio instituitur potissimum de acce-
ptione priori. Distinguendum (3) inter contrarietatem ve-
ram & apparentem. Illam, non hanc negamus. Distinguendū
(4) inter Philosophiam absolute & respectivè consi-
deratam. Utrumque, maximè verò prius controvertitur.
Distinguimus (5) inter Philosophiam & Philosophiam Pe-
ripateticam, Stoicam, Epicuréam, Cartesianam &c. De illâ,
non hanc quæritur. Distinguendum (6) inter contraria
& diversa. De priori controvertitur. His præmissis nega-
mus quæstionem: *Philosophia non contrariatur Theologia*. Qvia
(1) unus est author utriusque & Theologiae & Philosophiæ.
Qvia (2) verum vero consonat ubique. Qvia (3) lumen
fidei & lumen rationis sunt simul & semel in eodem subje-
cto. Qvia (4) Philosophia est antiquissima. Antiquissimum
autem quodque verissimum. Veritas verò una alteri nun-
quam contraria.

Objec^{tio} (1) Per quod decipimur illud contrariatur Theologiae. Atque per Philosophiam decipimur Col. 2/8. E. Respondetur (1) distingendum est inter Philosophiam legitimè & illegitimè usurpatam, sive inter usum & abusum. Negamus priori sensu ullo modo nos decipi per Philosophiam.

(2) Distingv. inter Philosophiam ut sic & talem vel calem.

Object. (2) Quicquid Deo inimicum est illud contrariatur Theologiae. Atque Philosophia est Deo inimica. Ergo. Minor probatur Rom. 8/7. *Sapientia carnis, Sive Philosophia, inimicitia est adversus Deum.*

Respondetur (1) negando minorem propositionem (2) Distinguendo inter sapientiam carnis & inter sapientiam naturae, sive inter Philosophiam carnalem, quæ non nisi impro priissimum Philosophia dicitur, & inter Philosophiam naturalem. Illo sensu conceditur totum argum. Negatur hoc.

Obj. (3) Quæcunque disciplinæ habent contraria principia contraria sive conclusiones illæ inter se sunt contrarie. At Theologia & Philosophia ita se habent. Ergo. Minor probatur: Philosophia inquit: *Ex nihilo nihil fit.* Contra Theologia: *Totus mundus ex nihilo factus est.* Philosophia ponit: *Nulla virgo parit.* Theologia contra: *Virgo Salvatorem mundi peperit.*

Respondetur (1) negando minorem (2) distinguendo inter rem & modum rei. Quando Philosophia inquit: *Ex nihilo nihil fit,* sumit illud naturaliter, Theologia autem non dicit illud falsum esse naturaliter; sed posse illud falsum esse supernaturaliter. Sic etiam virgo non parit naturaliter, parit autem extraordinariè & supernaturaliter.

Q V A E S T I O III.

*An Mundus senescat & cælum ruinam subierit, non tantum
haec tenus, sed & adhucdum subeat?*

Mundi

Mundi creatio per naturam aliquatenus à nobis cognosci potest. At ejusdem interitus ex libro Scripturæ per revelationem & scitur & creditur. Cœlum itidem aliquando peritum esse non sensus non ratio nobis monstrat, sed Scriptura. Ut ut sit, solent aliquando Concionatores ex ignorantia populo enumerare, quomodo jam mundus vergat ad interitum, & grandævus quasi factus sit, itemque quâ ratione delapsum sit cœlum per multa centena milliarum, & mox ferè contiguum futurum cum his corporibus inferioribus. Quæ sententia etiam ex parte à non-nemine Postillæ recentioris scriptore Philippo Melanthoni impingitur, cuius relationis veritatem in medio relinqimus.

Si autem rem ipsam pressius & penitus consideremus, verba tantum audimus nuda sine rebus existentia. Ita argumentamur breviter in compendio:

Quodcunq; dogma neque ex scriptura, neque ex natura, neque ex ratione, neque per sensus, neque per aliud aliquod medium demonstrari potest, illud falsum est. Atqui dogma de mundo senescente naturaliter, itemque de ruina cœli eodemque, mox terris iucumbendo ita se habet. Ergo.

Q V A E S T I O IV.

An Eclipses frequentiores & horribiliores sint hodierno tempore ac olim?

Eclipsis, graeca vox, latine deliquium significans, est vel Solaris vel Lunaris. Eclipsis Solaris est luminis ejusdem aversio. Eclipsis Lunaris est luminis ejusdem privatio, quanquam autem generaliter loquendo stellis etiam possint competere Eclipses, siquidem Planetæ non tantum Planetas (inferiores scilicet superiores) sed & stellas fixas, quando obtegunt, eclipsare possunt; hic tamen ut alias etiam in Philosophia

sophia speciatim Eclipses luminarium, Solis & Lunæ, intelliguntur, qvæ notabiles sunt præ illis, & etiam plerumq; varias mutationes non tantum tempestatis sed etiam aliarum rerum secum ferunt. De his Eclipsibus utrum hoc tempore plures contingant ac olim non immerito qværitur. Audimus enim non raro Patriarcharum tempore non fuisse tot tantasq; obscurationes qvantas nunc singulis ferè annis observamus. Verum verè tantum dici audimus talia non autem probari. At si sufficit dicere aliquid qvid tandem erit? qvorsum deveniet veritas? Nostra conclusio hæc est:

Eclipsum numerus, qvoad totam periodum seu Cyclum, qvi hodie est, omnibus temporibus à condito mundo viguit, neq; plures, neq; pauciores fuerunt tempore Patrum qvam hoc nostro, neq; etiam aspectu terribiliores vel horribiliores; imò secundūm motus medios cum Celebrissimo Tycho de Brahe singulis Annis qvatuor Eclipses contigere nunc & olim contigisse, secundūm motus veros autem non nunquam pauciores & nullas, nonnunquam plures, ita tamen ut per novem annos circiter numerus quaternarius in orbem redeat, nulli dubitamus. *Vid. Tycho, Tom. 1 Progym. pag. 328. Longom. Astron. Dan. Lib. 1 Theor, pag. 313.*

Hanc positionem probamus argumento hoc invicto: Ubicunq; una & eademq; causa eodem modo disposita, eodem influxu causativo influens semper fuit, ibi etiam idem effectus eademq; anomaliæ semper fuerunt. At eadem causa nunc ut olim & olim ita semper qvotannis fuit. Ergo & effectus idem. Minor probatur: Qvia semper à condito mundo præstò fuerunt Luminaria, motus eorundem, conjunctiones & oppositiones, declinationes & latitudines tales & tales &c.

Q V A S T I O V.

Quid de maculis Lunæ judicandum?

MAculae Lunæ sunt partes obscuriores Lunæ, quas quotidie cœlo sereno & Lunâ splendente oculis observare possumus. Unde autem & quid sint, ingentem sententiarum farraginem reperias. Nos aliquot enumerabimus & veram sententiam promemus.

Sunt qui Lunam non dubitant appellare terram cœlestem in primis inter veteres aliqui, quibus etiam assentitur Galilæus à Galilæis Italus, & propterea in Luna esse montes, valles, multosq; alios eosq; diversos anfractus, & ideo nos diversitates illas oculis nostris observare quasi maculas, Terram etiam ita apparitaram, si eandem quis ex Luna intueretur.

Alii putabant maculas istas in Luna nibil aliud esse quam fordes vel feces per humores ex terra à Luna ad se attractas, Plinius lib. 2. cap. 9.

Alii superficiem Lunæ specularem esse statuunt, atque sic in ea, tanquam in speculo, imagines montium representari, atque exinde ad nos reflecti.

Alii inter Solem & Lunam quædam corpora nobis invisibilia intercepta esse arbitrabantur, propter quorum interpositionem lumen in certis partibus Lunæ ad nostros oculos deferri nequeat.

Alii disparitatem coloris in Luna macularum causam esse dixerunt, quasi videlicet Luna revera in nonnullis partibus nigra & livida, in aliis vero partibus candida sit.

Alii causam macularum quæsiverunt in visione, & mox distantiam nimiam mox oculi angustiam culpare voluerunt.

Alii aliter senserunt: omnes sine fundamento, ita ut tales opiniones recitasse sit easdem sufficienter refutasse.

Vera sententia hæc est: In Luna sunt partes densiores & partes rariores. Densiores lumen à Sole receptorum vehementius reflextunt. Rariores non item, & ideo partes rariores Lunæ macularum speciem visui nostro offerunt. Demonstrat hoc Ricciolus ab experientia, si enim penes mare montem celsissimum aliquis ascendat Sole splendente, videbis, inquit, eminus terra & aquæ magnas & totas superficies à Sole alto illuminatas, aqueas atram quandam & fuscarn lucis speciem reddere, terreas autem claram, & aliquando tantam, ut vix oculis eam sustinere possis etiam si nive non sint consperse, nec aliunde albantes. Lib. 4. Almagesti Novi cap. 8.

Q V A E S T I O VI.

An terra moveatur & stella in cœlo quiescant, an vero stellæ in cœlo moveantur & terra quiescat?

IN hac controversia intricatissima & inter Eruditos acerri-
ma, breves tantum ducemus lineas, & simplici veritate
contenti erimus. Qvamvis qvidem hodierno tempore
plurimi & plerique sint in eâ sententiâ, qvôd terra movea-
tur, & stellæ fixæ immotæ in cœlo existant; multitudo ta-
men errantium errori non parit patrocinium.

Nos probamus stellas moveri & terram quiescere. (1) Ex
Libro Scripturæ. Ecclesiast. I/4 & 5. Terra in seculum stat. Ori-
sur Sol & occidit Sol, iterumq; ad locum suum anhelat, ubi oriatur.
Psal. 104/5. Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in
seculum & perpetuum. (2) Ex statione stellarum miraculosa.
Argumentatur: Nullum miraculum divinum est opus na-
turæ. Atqui statio stellarum est miraculum divinum. Ergo
non est opus naturæ. Stellæ ergo supernaturaliter stant &
naturaliter moventur. Minor propositio probatur Josuæ
10/13, 14. Esa. 38/8. (3) Ex libro Naturæ. Unum corpus sim-
plex

plex unum tantum habet motum naturalem simplicem
Terra est corpus simplex. E. unum tantum habebit motum
naturalem simplicem. Jam certum est terram motum rectum
deorsum habere. Ergo non habebit circularem vel mixtam.

Porro probatur etiam hæc sententia ex principio Archi-
tectonico. Canon est: Cujusvis ædificii fundamentum de-
bet esse stabile & immobile. Fiat subsumptio: Terra est fun-
damenū ædificij mundani Prov. 8/29. Job. 38/4. 6. Esa. 34/18.
Ergo terra erit stabilis & non movebitur.

Tandem si terra moveretur juxta hypotheses Coperni-
ciorum, sequeretur immensum esse orbem inter Saturnum
& stellas fixas prorsus otiosum & inanem, & quidem ex men-
te Kepleri milliarium Germanicorum 51569900000. At ab-
surdum posterius. Qvorum enim tanta inanitas? Deus &
Natura nil frustra facit. Ergo & prius.

Q V A E S T I O VII.

An formæ brutorum sint substantie spirituales?

Distingvendum est. (1) inter substantiam & inter sub-
stantiam spiritualem. Non queritur de priori, certum
enim est bruta esse substancias, quod autem sunt per
formam sunt, forma siquidem dat esse, distingvi & operari;
sed de posteriori. Distingvendum (2) inter substantiam com-
pletam & incompletam. Quæritur de illa. Distingvendum
(3) inter Ens immateriale & inter Ens spirituale. Quod est im-
materiale quocunq; modo non statim est spirituale. (4) No-
tanda etiam distinctio inter immaterialitatem ratione esse
essentiæ tantum, & ratione essentiæ & existentiæ simul. Ut aliquid
sit substantia spiritualis utrumq; requiritur. Non ergo quær-
itur an ratione essentiæ formæ brutorum sint immateria-
les, hoc enim ultero concedimus, neq; enim materia defini-

tio eis competere potest, sed an etiam ratione existentia, ita
ut si e materia existant?

Qvibus præmissis negamus qvæstionem: Formæ brutales
non sunt substantiae spirituales seu spiritus. Qvia (1) sunt qvanti
et si qvantity non per se sed per accidens. Qvia (2) sunt ex-
tensi & divisibiles, qvod per picuè patet in vermbus, dicitur
enim vermiculo in aliquot partes, qvævis pars adhuc mo-
vetur, & hinc inde reperiendo indicium præbet formam ubi-
que in illis partibus præsentem esse. Qvia (3) non sunt in-
tellectuales. Qicquid est substantia spiritualis, illud est in-
tellectuale. Formæ brutales non sunt intellectuales. Ergo
etiam non sunt spiritus.

Q V A E S T I O VIII.

An in homine tres dentur anima, vegetativa, sensitiva, & ra-
tionalis, an vero unica tantum, anima scil. rationalis?

A Nima vegetativa est forma generica, plantarum habens
facultatem altricem, auctricem & procreatricem. An-
ima sensitiva est forma brutorum habens facultatem
cognoscibilem, appetibilem & locomotivam. Anima ratio-
nal is est forma animæ habens facultatem intelligendi, vo-
lendi, ridendi & loqvendi. Per hanc homo separatur & di-
stinguitur ab omnibus aliis rebus.

Qvibus præmissis nos posterius membrum qvæstionis af-
firmamus: *Anima hominis una est, anima nem per rationalis.* Qvia
(1) Scriptura sacra unius animæ tantum meminuit. Qvia (2)
tres etiam materias haberet homo, tria corpora, tres substan-
tias, immo tres formæ & tres materiæ sex constituerent sub-
stantias. Qvia (3) si tres essent animæ, triplex esset vita. Si
triplex Vita foret, triplex etiam esset mors. At una est mors
hominis naturaliter. Semel enim non ter morimur. Ergo
etiam una anima.

Obje-

Objectio [1] Ubi operationes animæ sensitivæ & vegetati-
væ sunt, ibi etiam est anima sensitiva & vegetativa. Atqvi
in homine sunt operationes animæ sensitivæ & vegetativæ.
Ergo & ipsa anima sensitiva & vegetativa.

Respondemus ad hoc argumentum cum incomparabili
Physico B. Sperlingio majorem limitando ita: Ubi sunt ope-
rations animæ sensitivæ & vegetativæ ibi etiam sunt animæ
ipsæ vel alia anima illis superior. Et sic concedimus totum
argumentum.

Obj. (2) Si vivimus vitam plantæ, vitam animalis, vitam
hominis, tres habebimus animas. Verum illud, E. & hoc.

Resp. Vivere sumitur vel pro actu primo vel pro actu se-
cundo. Illo modo minor falsa est, de quo tamen queritur.

Q V A E S T I O I X .

An Mulieres sint homines?

Digni essent illi qui Mulieres è censu hominum exclu-
dunt ut è brutis in hunc mundum ederentur, ut qui
deteriores illis longè sunt. Non autem queritur (1) an
mulier sit generis masculini, sed an sit creatura ad imaginem
Dei creata, adeòq; revera homo? (2) Non est quæstio, an
mulier differat à Viro sexu, quis enim hoc negat, sed an dif-
ferat specie? (3) Distinguendum inter sexum simplicem &
compositum. Ille est tantum masculinus vel tantum foemi-
ninus. Iste uterq; simul in quibusdam hominibus reperitur,
in illis nempe quos Hermaphroditos & Androgynos appel-
lamus. Quæritur de priori sensu potissimum.

Nostra sententia est, Mulieres revera esse homines propriè
sic dictos, neq; aliter differre à viris quam sexu & aliquibus
membris aliisq; gradibus quibusdam. Quia (1) Scriptura
sacra expressè hoc refert Gen. I/27. Creavit Deus hominem ad

imaginem suam, marem & FOEMINAM creavit eos. Gen.5/2.
Marem & FOEMINAM creavit eos: ac benedixit eis, & vocavitq; no-
men eorum HOMINEM, quo die creati sunt. Qvia (2) com-
petit mulieribus definitio hominis, sunt enim animalia ra-
tionalia. Qvia (3) Salvator verus homo ex Maria tantum
substantiam hominis adeptus est. Qvia (4) deterior esset
conditio hominis quam brutorum. Utterq; enim in illis fe-
xus de specie sua participat. Qvia (5) dicitur caro de carne
Adami, qui extra dubium homo est Gen.2/23.

Objectio (1) Qvicunq; non ex humo conditus est non
homo. Mulier non est ex humo condita. E. non est homo.
Minor probatur, qvia Eva ex costa Adami fuit exructa, neu-
tiqvam verò ex humo. Respondetur (1) per instantiam.
Qvis homo post creationem mediante benedictione Dei
ex semine generatur non ex terra, qvanquam materialiter &
semen & costa humus dici queat. (2) Distingvendum inter
creationem immediatam & mediatam. Eva sanè ex terra
condita est sed mediante costa, qvæ uti totus Adamus ex hu-
mo conditus erat.

Objectio (2) Homines similes erunt Angelis Matth.22/30.
At mulieres non erunt similes Angelis. E. mulieres non sunt
homines. Minor probatur, Qvia inter Angelos nullus est se-
xus foemininus. Respond: (1) Homines similes erunt An-
gelis non essentiâ sed qualitatibus, justitiâ & sanctitate. (2)
Cessante naturâ cessabit medium conservandi naturam,
conjugium nempe, & sic in hoc tertio similes futuri sumus
Angelis non habito respectu sexûs.

Objectio (3) Qvicunq; non resurrecti sunt in extre-
mo judicio non sunt homines. Mulieres non resurrecturæ
sunt. E. non sunt homines. Minor probatur, Qvia mulier in
adjutorium viri creata dicitur. At in alterâ vitâ nullo adju-
torio

torio indigebit vir. E. neque mulier ibi erit, & per conse-
quens non resurget. Respondeatur ad probationem mino-
ris. Creata est mulier in adjutorium viri in hac vitâ, in qvâ
adjutorio opus habebat, neutiquam in alterâ, ubi eodem
non opus erit.

Objectio (4) Nullum monstrum est homo. Fœminæ
sunt monstra. Ergo non sunt homines. Major est falsa. non
enim omnia monstra mutant essentiam. Minor non sani ho-
minis sed furiosi est commentum, neque enim ullo modo
definitio monstri mulieribus competere potest.

Q V A E S T I O X.

*An Lamie venefica corda hominum per incantationes & ve-
neficia è corpore educere queant?*

Audiuntur & leguntur mira exempla artis diabolicæ ad
stuporem usq; nonnunquam. Nostra ætate puella qvæ-
dam veneficiis initiata Anno 1650 se non tantum ja-
ctabat, qvomodo corda hominum eximere posset è corpo-
re; verum etiam desiderantibus aliquot fide dignis personis,
ut in præsentia ipsarum artem suam in cane demonstraret,
paruit, & in puncto temporis canis ante spectatorum pedes
mortuus & excors jacuit. Qvæsum cor in ventre canis
non est repertum.

Nos negamus qvæstionem & talem subjicimus epicrisin.
Cor si educitur reverâ, necessum certè etiam est ut secedetur ca-
ro hominis vel alterius animalis violenter & transitus ada-
periatur, neq; enim possibile est ut per poros angustissimos
ullo modo penetrare queat. Deinde imaginantur nonnun-
quam illi sibi, qui à veneficis se læsos putant, qvæsi cor nul-
lum habeant in corpore, cùm tamen reverâ habeant, alias
enim vivere non possent. Meræ ergo præstigiæ & ludibria
Sathanæ

Sathanæ sunt, qui fascinando oculos hominum corruptit,
ut fieri aliquid putent, quod revera tali modo non sit, quem
admodum & præstigiaores unum corpus opacum per aliud
opacum trudere putantur, cum tamen nihil minus faciant.
Indulgente itaq; Deo Diabolus per organa sua occidit homi-
nem vel aliud animal non educito corde; si autem cor quæra-
tur, perstringit oculos ne illud videri queat, vel etiam invis-
ibiliter cor avellit & aufert.

C O R O L L A R I A

Respondentis.

I.

Prædicabilia sunt quinque.

II.

*Ens genus proximum substantiae & accidentis non
est.*

III.

Nulla substantia inest subiecto tanquam accidens.

IV.

*Vox Omnis non semper reddit Enunciationem
Universalem.*

V.

Syllogismus non cadit in bruta.

F I N I S.

